



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 6. Induciōe Pontificis cum Prorege Neapolitano pactæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæc. XVI.  
A.C. 1527.

tantopere a profusioribus expensis abhorrebat, ut persæpe doleret, quod eo temporis rerumque concursu in Papam fuisset electus, ubi pecunias frequenter mutuas accipere, necessitas urgeret, cum tamen potio-rem reddituum partem sibi potius reservare decrevisset. Augebatur vero ejusdem sollicitudo, cum illi onus incumberet, geminum alendi exercitum nonnisi ex alienigenis conflatum, qui ad præfixam horam sua exigebant stipendia, & aliunde sub Ecclesiasticorum imperio militare exosi, facile relictis Papæ vexillis ad Cæsaris castra transire timebantur. Equidem Ecclesiæ ditionibus insolita imponebantur tributa, verum Papæ Ministri seditionem populi pertimescentes, ægre admodum illa exigebant, eaque pendi remissius instabant.

§. VI.

*Induciæ Pontificis cum Prorege Neapolitano pactæ.*

*Mem. du Bellai l. 3.  
Pallav. hist. Conc. Trid.  
l. 2. c. 14.  
p. 200.*

Cum vero præter ejusmodi exactio-nes ad prosequendum bellum, aliunde sumptuosissimum Pontifici nil reliquum esset, ideo secreta cum Prorege Neapolitano consilia fovebat. Veneti, quæ clam agerentur, edocti, vero similem inde hauriebant obtentum, ut imposterum

posterum segnius ad arma procurre-  
 rent; verebantur enim, ne Pontificis  
 mutabilitate eorum conatus successu  
 frustrarentur; hanc ob causam ultro  
 Mediolanum tueri cessabant, quamvis  
 e re sua maxime fuisset, ut Cæsarem ab  
 hujus ditionis imperio arcerent. Ur-  
 gebat insuper Lanoyus Pontificem, ut  
 concordiae pacta iniret; unde Clemens,  
 ubi a Borbonii Duce exercitum Roma-  
 nae urbi admoveri perceperat, inducias  
 acceptavit per Cæsarem Fieramuscam  
 Neapolitanum oblatas, qui Proregis ne-  
 gotia procurans Papam aliunde sat pro-  
 pensum nullo ferme negotio ad sua vo-  
 ta inclinabat. Induciarum condiciones  
 erant sequentes I. octo mensibus ab  
 armis cessabitur. II. Borbonii Ducis  
 copiis Papa sexaginta nummum aureo-  
 rum millia numerabit, scilicet, infra  
 mensem quadraginta, evoluta autem  
 octiduo reliquam summæ partem. III.  
 Pristinis eorum Dominis omnes red-  
 dentur urbes, quæ Sedi Apostolicæ,  
 Cæsari, & Columnensibus fuerunt ere-  
 ptæ. IV. Cardinalis Columna in di-  
 gnitatem, unde decidit, restituetur. V.  
 Si Franciæ Rex, Venetique huic fœde-  
 ri accesserint, confestim Germani ex I-  
 talia discedent, secus autem, Carolus  
 Imperator suas copias duntaxat a Pon-  
 tificis & Florentinorum ditionibus re-

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

Sæcul. XVI. A.C. 1527. vocabit. VI. Denique Lanoyus Romanæ urbi appropinquabit, ac Borbonio Duci iter versus Etruriam occludet.

## §. VII.

*Pontificis copiarum pactis induciis dimissæ.*

*Guicc. ibid.* Promulgatis hisce induciis Papa copiis suis missionem fecit, ac nonnisi duodecim millia præter centum equites retinuit, classem quoque suam revocavit, atque triremes armorum apparatus spoliari iussit. Idem etiam fecerunt Veneti. Interea vero Valdemontius Comes Lotharingæ Ducis frater ex Andegavensi familia ortus cum Papæ ac Venetorum triremibus jamjam Salernum, ac Surrentum occupaverat, quas tamen urbes rursus relinquere jubebatur, quæ res Valdemontio permoleste accidit, eo potissimum nomine, quod a Neapolitanis magni habitus, facile Andegavensis factionis reliquias ope & consilio redintegrare potuisset. Ceterum improvido prorsus consilio Papa ab armis discesserat, cum nondum explorata haberet Borbonii consilia, qui jam versus Bononiam progressus, tam validum ducebat exercitum, ut præter quingentos cataphractos, duo circiter equi-